

Ann. VIII.

ROMAE, Kal. Iuliis M DCCCCV.

Num. VII.

15.7.5.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA"

VARSAVIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15.

VARSAVIAE POLONORUM
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

LONDON W.
28, Orchard Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

De Norvegorum Suedorumque regno diviso.

Quid Plinius iunior de graecis litteris senserit.

Per populum ad Deum!

De Sancta Elisabeth Hungarorum regina.

Amor et martyrium.

Burghesianum museum.

Varia latinitas. - Paroemiae sive Adagia de amicitia.

Musicorum conventus apud Augustam Taurinorum.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Acta pontificia. - SS. D. N. PII PP. X Litterae in forma « Brevis » circa equestres
ordines ab Apostolica Sede concedendos.

Diarium Vaticanum: Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Vita functi
viri clariores. - Varia.

Annales: Navalis pugna inter Iaponios et Russos - Pacis concludendae auspicia. -
Norvegorum Suedorumque regnum divisum. - Iberorum regis iter atque periculum. -

Regales nuptiae. - Vindobonensis principum colloquia. - Cretenses motus.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Aenigmata.

In tertia operculi pagina:

Per Orbem.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M DCCCC V

Sociis et lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Novo superveniente anno, quem VIII Vox Urbis inscribere gloriatur, non quidem, ut plerumque assolet, nova et magnifica promittemus; non enim sociis et lectoribus, qui constanter in itinere, neque eodem brevi atque expedito, nos comitati sunt, magniloquis verbis temerariisque promissionibus illudere opus est nobis, sed tantum ea adnotare quae in eorum veram utilitatem adducere constituimus.

Vox Urbis itaque in annum M DCCCCV ea erit, quam socii voluerunt: commentarium menstruum, qui non unum Urbis augustae matris sermonem, sed omnem cultum et humanitatem referat, eaque omnia quae inde, veluti ex radiationis centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valeant. Disputationes igitur, quae plerosque populos aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones suum locum apud nos hoc etiam anno invenient, atque simul nuncii, significaciones, et documenta, quae tum circa catholicam rem, quam tueri gloriamur, tum circa eventus peculiari nota dignos, in varietate quamquam, *simplex dumtaxat et unum* opus reddant nostrum.

Sed aliud quoque expediemus, quod non paucorum sociorum desiderium explebit; articulos scilicet in quibus, quasi in parva tabula, simplici eoque facili stylo, descriptionibus, narratiunculis, dialogis, argumenta vitae maxime communia tractentur, unde liceat colloquia latine inire atque alere. Ita finem illum supremum, ut latinus sermo universalis, prouti dicunt, reducatur, non modo obliscescatur, imo etiam proprius prospiciens.

Maiora vero comparavit administrator; qui non modo immutatum reliquit pretium subnotationis, quod est in Italia lib. 4, 80; ubique extra Italiam lib. 6, 25 (doll. 1, 25; sch. 5; march. 5; rubl. 3; cor. 6, 25); sed ad magis magisque commentarium vulgandum curis creditum suis rationes vere favorabiles cavit, quae sequuntur:

Si quis socios novos duos comparaverit, pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit; eoque bono gauderi poterit ipse subnotator novus, qui, sua vice, eadem gesserit. Quum iste scilicet socios alias duos nobis acquisiverit, facultas ei erit non duorum pretium, sed unius tantum mittendi, atque alterum faciendi suum, ut pretio pro subnotatione iam ante misso sese resarciat. Neque eum pudor teneat novos

subnotatores de favore ipsi concessu aliquo modo certiores futuros: hi enim receptionis schedulam, veluti si pecuniam directe per se miserint, regulariter accipient. Haec una conditio, ut novi hi subnotatores intra menses duos, a propria cuiusque subnotatione recurrentes, requirantur, utque omnia ad Aristidem Leonori equitem (Romam in Italia, via Alessandrina, 87) recto tramite mittantur.

Quid plura?... Plura tamen administrator concedere sociis voluit, eaque paene incredibilia; id enim effecit, ut *VOX URBIS* socii e loco domicilii sui in Urbem, atque inde in domicilium suum reverti gratuito possent. Id iis paratum est — bibliopolis, uti patet, exceptis — qui ante Iulium mensem an. M DCCCCV sexaginta novas subnotationes collegerint earumque pretium integrum ad administrationem miserint. Societati itinerum notissimae Cook et Son munus commissum; ea, ubi primum a nobis certior facta erit, epistolarum commercium cum socio inibit, omniaque disponet ut is nullo impendio ab *Europae* loco ubi vivit Romam usque, atque Roma in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus, iter aggrediatur. Estne difficile nimis sexaginta socios novos comparari? En rursus benigne succurrit administrator: qui triginta tantum collegerit, dimidiatum pretium itineris habebit.

Sunt tamen qui eiusmodi curas negligent: num his praemium nullum erit? Atqui erit sociis omnibus, qui ante expletum Februarium mensem an. M DCCCCV debitum solverint suum; idque, more nostro, pulcherrimum: *imago heliotypice expressa metr. 0,32 × 0,45 Pium X Pontificem referens sacris ad solemnia indumentis ornatum atque benedicentem*. — Quod si denique socius tabulam illam maluerit metr. 0,22 × 0,45 iam in nostrum commodum unice superiore anno desumptam, ac Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX an. M DCCCXLVI peractam, quum exemplaria nonnulla apud nos sint adhuc, eam requirat, nosque, donec possibile erit, ei morem geremus.

Restat nunc ut sollicitudini nostrae sociorum favor in dies crescens respondeat.

Vox Urbis.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

DE NORVEGORUM SUEDORUMQUE REGNO DIVISO.

SCANDINAVA terra insolitum praebuit spectaculum atque inopinum. Incolae enim eius, quamvis tranquilla praediti mente et animo sereno, id tamen ausi sunt, quod vix Latini meridionalis Americae cives hactenus pertinetarunt: regem suum Oscarium, missa veluti per populorum legatos salutatione, solo elegerunt. Grave quidem consilium, quod Europaeorum plerique atque Americanorum, nisi certa enunciassent diaria, unquam crediderint. Causa autem facinoris adeo gravis non fuit, quam longanimitas quaedam et benignitas non abstulisset. At hinc inde contumaces animi et sua superbiae tenaces Suedos tandem a Norvegicis seiuixerunt.



Regale genus, cui traditum regnum erat, Napoleon Caesar posuit, praefectum militiarum suarum Carolum Ioannem Bernadotte edicens Scandinaviae regem. Ex Napoleonis occasu unus immo ille ex tot regibus ab eo creatis superfuit, cui anno M DCCC XIV, quum Norvegum regnum occupavit, Eidsvoldensis constitutio signanda fuit, unde Norvegicis aerarium, copiae, classes, magistratus, leges propria atque a Suedis distincta servarentur.

At aliquid commune utraque Scandiae gens praeter Caesarem habuit: rerum cum exteris gentibus communicandarum curatorem, eiusque legatos, qui apud singulas gentes de utroque regno prourationem gererent. Etsi enim lege illa Norvegicis quoque sui legati adscriberentur, ob commodum tamen ipsi ius designationis Suedis omnino reliquerunt.

Mutatis vero paullatim reipublicae modis, Norvegorumque multitudine in duplum aucta eorum mercatoriai naves adeo sunt multipliatae, ut per nordicas oras iam iam Anglos aemulentur. Hisce de causis aucta quoque praeter opinionem eorum commercia mirum in modum; ita imo, ut Norvegensium negotia in dies legatis egerent suis, qui ea extra regni fines procurarent.



Haec discordiae causa. Dum enim Curia, populique legibus ferendis Norvegorum delegati ius sibi acriter vindicant, Suedorum contra patres conscripti mordicus abnuunt. Auctae inde irae, parata utrinque arma et prope iam ad bellum ventum est. Quamquam, sedatis animis, illustrium virorum ex utraque gente manus

delecta est, qui rem totam componerent. Horum vero labores post triennium irriti etiamtum cesserant, quum novi suffecti sunt viri, atque tandem constantia et humanitate singulari res est optimis cautionibus accommodata. Statutum est enim legatos consulares utriusque gentis distinctos esse posse, quum tamen regnum minime abscederetur.

Verum quum manus ad opus appositae sunt, Suedi voluere ut Norvegorum legati ubique gentium nominandi Suedorum legatis subiicerentur. Conditio impossibilis existimata est; itaque post multas disceptationes incassum hinc inde habitas, dimittendum regem Norvegi censuerunt atque a communione tandem se discedere.



Decreta sunt haec in Norvegorum comitiis Nonis Iunii Christianiae congregatis, statimque Stokolmam ad urbem Oscario regi nuntiatares, qui contra perduelles subditos acerrima voce obtestatus est. Frustra tamen; a legatis enim populi iussum ut Norvegorum vexillum, Suedorum signis abrasus, per omnia regni oppida et castra emineret, quod statim, adstantibus ubique legionibus, factum est.

Quid vero cavendum censeant Suedi eorumque rex futura patefacent; quamquam plurimi arbitrantur fore ut nulla vis adhibeatur, civitasque ut libera facta est, ita in posterum maneat, sive novo eoque suo rege imperante, sive etiam res moderantibus administris a populo electis, quorum alter tamquam rei publicae praeses deligatur.

QUID PLINIUS IUNIOR

DE GRAECIS LITTERIS SENSERIT.

IN hac disputatione nihil novi afferre sumo: hoc tantum mihi propono, ut paucis verbis demonstrem quo animo C. Plinius Caecilius Secundus de litteris auctoribusque graecis diuidicaverit.

Epistolarum enim libri novem, in quas nonnulli docti et intelligentes rerum aestimatores acri fuerunt iudicio, Ciceroniana comparatione nimis praeoccupati, notitiarum copia, ut ita dicam, affluunt; quippe quum in eis pium, perstudiosum, poetam, abditorum naturae indagatorem, vel superstitione imbutum hominem invenias; quod quidem admirationem non efficit, si paulisper tecum perpendas, totum in epistolis animum scribentis aperiri.

Hinc illum necessario miraberis amicitiae officia diligenter sancteque servare, amicorum gau-

dio, dolore efferri et moerere, quibus in studiis magnopere elabore patet facere, quo ardore quae in rerum natura frunt allicit; hinc eum audiens tranquille quum disputet de vitae rusticæ suavitate, de Como « suis deliciis », de gratia suae villæ, cui nomen Laurentinum, de hendecasyllabis, « quibus in vehiculo, in balineo, inter cenam oblectat otium temporis », de auctoribus quos sequi contendit et huiuscmodi rebus permultis ad curiositatem valde pertinentibus.

His praemissis, quae ceterum necessaria mihi visa sunt, ad propositum revertor.



Iam satis inter omnes constat quanto in amore litterae graecæ Romanis fuerint, quo ardore correpti romani iuvenes, nobili loco nati, philosophos graecos audiverint, quomodo eorum amplissimam doctrinam ad se revocare contenderint. Accedit, quod atticae linguae venuates adeo mentes omnium alliciebant, ut Romæ plerique graece loqui vellent, atque, pro cotidiani sermonis usu, nonnulli scriptores aliquot verba, elocutiones, sententias ex illa haustris fodina sua in opera iniiciendi ingenio indulgerent.

Tunc idem ac nostra tempestate fiebat, quum nostri unusquisque sermonem vel Anglorum, vel Germanorum, vel Gallorum... vel omnium fere gentium callere studeat, alienas voces in circulis, disputationibus, familiarium congressionibus scriptisque de industria invecturus. Quod si afferre volumus huius propensionis causam, qua bene poterant Graeci gloriari, quum, obscurato pristinae gloriae splendore, Romam se, suum exquisitum iudicium suaequæ doctrinae thesaurum contulissent, in his Ciceronis verbis ea reperi posse mihi videtur: « Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, latina suis finibus exiguis sane continentur » (1). Qui haec scribit, incorruptae latini sermonis integratatis propugnator assiduus, ut moris erat, sui consulatus fastos graece exarare non dubitavit!

Tanta est vis consuetudinis!

Temporibus Plinii, sub Flaviorum imperio, idem summis erat in deliciis: Vestrictus Spurinna, sexaginta annos natus, scribebat utraque lingua lyrice doctissime; inerat enim illis « mira dulcedo, mira suavitas, mira hilaritas » (2).

Arrius Antoninus, proconsul Asiae, « sanctitate, auctoritate, aetate quoque princeps civitatis » in remissionibus Graeca epigrammata et mimiambos fingebat, in quibus « illa Homerici sensi mella profluere... videbantur » (3).

(1) *Pro Archia*, c. IX.

(2) Cfr. *Plin.*, lib. III, Ep. 1.

(3) *Ibid.*, lib. IV, Ep. 3.

Terentius Iunior, qui « equestribus militiis atque etiam procuratione Narbonensis provinciae integerime functus est », utraque lingua valebat. « Quam tera omnia, quam Latina, quam Graeca!... Athenis vivere hominem, non in villa putes... » (1).

Titus Aristo, multarum litterarum homo, et privati iuris et publici peritus, « satis antiquitatis tenebat » (2), cuius sub nomine cognitio quoque graeci sermonis comprehendenda est.

Item dici potest de aliis, qui se totos in haec amoena studia abdere soliti erant!

(Ad proximum numerum).

M. GALDI.

PER POPULUM AD DEUM!

INQUIIS hisce temporibus, dum homines impiorum intentant bellum, humana divinaque omnia, dedita opera, adeo permiscentes ut « fluere ac retro sublapsa referri » videantur, iuvat alte animo figere quae nuper Episcopus Claramontanus, in Galliis, Pii X de sacerdotibus christiano coetui invigilando praepositis sententiam auctoritate plenam inlustrans, in epistola ad suum Clerum, ita lucide tradit (3):

« Id de quo acriter instat Pontifex, tamquam de fundamento spei melioris aevi, est pastoralis munera foecunditas; quare B. illum Ioannem Vianney, pagi, quem Galli *Ars* appellant, *curatum*, quique Deo precando, caritatis operibus explendis, pueris christiana doctrina imbuendis, Sacramentis administrandis, aegrotis invisendis solandisque totum se tradidit, Nobis veluti singulare virtutis exemplar ad imitandum proposuit. Cuius eximiam vitae rationem Pontifex ipse secutus est, id temporis spatium, quo « parochi », vices in oppidulis Tombolensi et Salzanensi pie sancteque gessit. Hosque annos, bonis omnibus prosecutus, omnium felicissimos dixit, tum cum inter sodales e Clero sacri ministerii sollicitudines conferens, familiariter compellaret: *Noialtri cappellani!* Quamobrem ea vitae ratio, quae ad humilem sacerdotem pastorali animarum curae gerendae praepositum spectat, quaeque suis nativis etsi ignoratis virtutibus, ab omni plausu et inani ostentatione abhorrens, B. Ioannem Vianney ipsumque Pontificem, praeter communem hominum opinionem, ad summos nunc evexit honores, non modo praecipua, sed una est, qua humano generi corporis voluptatibus dedito Deique rerumque divinarum incurioso efficacissimum remedium quaeramus. Etenim assidue ad Deum preces, Christiana doctrina pueris, facili, accurata et definita oratione tradenda, in poenitentiae confessionibus excipiendis industria et labor, graviter aegrotantibus catholicae religionis charismatibus adesse, sobrietas usque ad austeritatem, caritas usque ad vitae iacturam, haec, licet antiqua, at tamen semper nova, Dei sacerdotibus erunt adhibenda, ut populum ad fidem Deique amorem reducant ».

« Cetera instituta, quae rei familiaris tuendae studio, pro recentioris aevi adiunctis, inducta

(1) Ibid., lib. VII, Ep. 25.

(2) Cfr. lib. I, Ep. 22.

(3) Haec exscripta, latino sermone, verbum verbo reddimus ex vicetino quotidiano commentario, cui Berico nomen est, num. 105 huius anni M CMV.

sunt, nullam salutarem sortientur vim, ni christianis virtutibus, ceu servi domino, pareant ».

Profecto haec verba, luculentissima, nulla explanatione egent. Id tamen nos Dei ministros gravissime admonent, « ne saecularibus negotiis implicati, ea neglegamus quae potiora sunt, neve quae sicut umbra praetereunt inepte sectemur. Sat prata bibere!... Quae spiritus sunt intenso amore diligere et curare tempus est: « Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus,; qua una significatio, idest, ut rerum externalium cura, in coetu Christiano instaurando, secundas ferat partes, dicimus: *Per populum ad Deum!* »

Scrib. in Portu Rumatino Kal. Iuniis.

MARCUS BELLI.

DE SANCTA ELISABETH

HUNGARORUM REGINA.

BEATAE Elisabeth, Hungarorum reginae, Montalembertus vitam scripsit praecaram, tantum scriptorem merita est profecto mulier virtutibus eximiis et summa sanctitate, quam iure Hungari, qui libertati sua tam acriter student, venerantur omnes et invocant certatim.

Presbourgensi in castro ab Andrea II Hungarorum rege Elisabeth orta est anno MCCVII matremque habuit Gertrudem Meraniensem. Christianissime teneris ab unguiculis institutae primus sermo angelica salutatio fuit; Deumque diligebat puerula, quamvis vix nosceret nomen, et sponte sua ad caelestia pertrahi sese experiebatur.

Die quadam, dum per hortulos discurrevit, eam pater adspexit, qui ira commotus quo iret rogavit quaeve deferret. Tunc ipsa: « Rosas collegi »; quum vero tempus rosarum iam abiisset, voluit pater rem oculis fidelibus inspicere. Rosae in veste reapse erant: frustula panis, quae Elisabeth pauperibus servaverat, in flores mutaverat Omnipotens.

Anno MCCXI legati venere ad regem ut filiam Arminio Landgravio sponsam peterent. Annuit pater: quinquennis in incunabulis argenteis ad sponsum ducta, feriisque mirandis a Turingiis accepta.

Verum dum in landgravii aula crescit, pietas eius aemulationem parit et odia: virgo tamen ab hominibus derelicta animam suam Deo commendat, neque cum sociis aut amicis queritur. Brevi novum supervenit infortunium. Anno enim MCCXVI sponsus eius regni haeres occubuit. Iamque eam in claustrum missuri erant, quum mortui frater, eius animi pulchritudine captus, eam sibi vindicat uxorem. Elisabeth mutuo diligit; non ita tamen ut pietatis sensus minuat. Die quadam in templo, Iesum intuens cruci affixum et spinis coronatum, suam e capite abiicit coronam et fletu effuso conculet. Thuringiae ducis uxor, quae cum ea est, quasi exemplo malo offensa rogat quid fecerit et qua de causa. Tum Elisabeth: « Ne irascaris — inquit — amica; Iesum video spinis coronatum, auream ego coronam gemmis distinctam retinere iam nequeo ».

Anno MCCXXI nuptiae celebratae maxima pompa fuerunt. Felicissimum nuptiarum tempus effluxit, at citissimum simul! Ut placaret marito curabat in omnibus uxor, non vanitate ducta, sed ne occasionem peccati alias illi praebaret. At quum caritas suaderet, omnia audebat ita, ut leprosum quoque domi accipere eumque nuptiali in thalamo collocare non dubitaverit. Quem rediens maritus quum vidisset, minime iratus est uxor; leprosus enim ille Iesu figuram ipsius oculis assumpsit, ita sane ut ad uxorem conversus exclamaverit: « Da saepe, Elisabeth, nostro thalamo hosce hospites, atque ego gratias habebo ».

Fili ex nuptiis nati iam tres erant, quum discedere Aloisium ab Elisabeth oportuit et Hierosolymam belli causa proficiisci. Uxor profecto Ierusalem usque eum erat sequutura, at praegnans quum esset, domi remansit anxia et in precibus. Aloisium vero non amplius vidit, morbo absumentum ante quam terram attingeret divino sanguine ruboratam. Quod quum Elisabeth rescivit, insanire iam dolore tetrovimo visa est; ad dies octo sponsum vidua quaequivit: « Omnia ecce amisi cum te perdidisti » — hisce querebatur misera — « vita deficit, sol est obscuratus, quum me dereliquisti viduam. Quomodo abs te vivam? »; Deumque obsecrabatur, ut consolaretur.

Sponso orbata, regia ab aula electa est. Pauperrima facta quae filia regis fuerat, victimum et asylum sibi filisque postulat. In foeno iacent qui regis in aulis quieverant! Quum denique ius regni non sibi, sed filiis vindicasset, terrenis bonis tandem valedixit, atque iuvenis admodum nihil aliud quam caelestem sponsum sibi quaequivit. Confessarius eius Conradus Magister maximis probationibus eam iterum iterumque experta est; quumque avunculus episcopus novas ei nuptias obtulisset, respuit omnino, ac tota Deo dedita cursum vitae absolvit.

Hosce per tramites ad culmen sanctitatis Hungarorum regina pervenit.

Vox Urbis Commentarius

procuratores quaerit, qui apud exteris gentes atque in ipsis Italiae civitatibus magis magisque ipsum Commentarium diffundant; iisque amplam pro laboribus mercedem solvet.

Itaque qui rem sibi sumere posse credant ubi sint terrarum ad ARISTIDEM LEONORI equitem, Vox Urbis commentarii possessorem atque administratorem (Romae, Via Alessandrina, 87) scribant, qui sua vice commercium epistolarum cum ipsis inibit, atque de re omnes explicationes suppeditabit. Iuvenes praesertim invitantur, qui latinam linguam callentes inde sedulitatis suae emolumenta percipere cupiant.



Amor et martyrium.

*Non audita prius deducto carmine narro,
Et quamvis incompta modis hic Musa loquatur,
Res est digna tamen facili quae mente notetur.
Cum Decius Caesar clades renovare priores
Iusserat, ut Christi posset delere triumphos,
Sanguine quot terrae maduere, quot aspera rursus
Insontes hominum passi tormenta phalanges,
Quot foedata suo sunt candida membra cruento!
Nobile crimen erat divino credere Christo,
Et precibus crebro iantum committere nomen,
Et factos aevi veteris contemnere divos.
Christiadae noctu sibi nota secreta petebant,
Ut, quae fiebant, sacris prudenter adessent,
Ipsos ne arriperet solitus saevire tyrannus.
Conventus istos saepissime adire solebat
Virgo decore nitens clarisque parentibus orta,
Insignis pietate, fuit cui Flavia nomen.
Unica spes fuerat iam deliciaeque parentum,
Qui - miserum! - perierte simul, quia numina foeda
Inflexis genibus renuerunt poscere ad aras,
Magnum unumque Deum, non plures esse fatentes.
Virgo superstes erat pulcherrima Flavia tantum,
Quam pia tutandam sumpsit materterea custos.
Non oblita suum patrem matremque beatos,
Illa precabatur, sibi vellent esse faventes
Tam cari manes aeterno lumine laeti.
Neve pudebat eam cryptus imosque recessus
Turbis cum miseris intrare, et cantibus una
Solveer divinas laudes, finemque precari
Tot scelerum, votis sanctosque rogare sodales.
Ingruerat nox atra polo delapsa micante
Atque quiescebat, sedato murmure, Roma.
Inclita virgo suas de more reliquerat aedes,
Atque adoperta caput velo loca proxima adibat,
Cum iuvenis quidam subito fuit obvius illi,
Talibus ac dictis nocturna silentia rupit:
- « Casta puella, tuum decus admirabile novi,
Idque animo mecum sic haerens usque peregi,
Vulnere ut ignoto paullatim corda dolerent,
Donec flamma novos vehementius addidit aestus.
Implicita ora diu veneranda in pectore gessi;
Assiduus venas refovens increbruit ardor,
Qui magis augescens iucundior inde calebat.
Intus adhuc angor; super additur ignibus ignis,
Impatiens sed purus amor cum sanguine fervet,
Et quocumque feror, mihi spes est nulla quietis.
Excipe, quo crucior, virgo suavissima, amorem;
Tu quoque redde tuum; sit foedere iunctus uterque...»
Dicere plura velit iuvenis, cum Flavia subdit:
- « Si liceat tantum placidis confidere verbis,
Quisquis es, ingenium nobis ostendis amicum.
Ulli sed certae prohibent me nubere causae:
Virginis hunc florem nitidum servare spondi
Atque dicare Deo, qui candida lilia quaerit.
Caelitus hortantur gnatam sine labe parentes,
Talis ut hinc abeam sedes aditura supernas,
Qualis ego fueram studiis vigilantibus alta.
Si qua mihi species, nequidquam ornatiōr ivi,
Nullus enim cultus nobis adhibendus inanis.
Nil mihi terra ferax iucundius undique profert,
Quam quae tuta parat nobis super aethera Christus.
Frustra igitur poscis quae nunquam reddere possum.
Si tu blanda petis, praebet sua gaudia Roma:
Abstinet illecebris genus illaetabile nostrum...»
At iuvenis mites effundens pectore voces:*

- « Falleris, - inquit, - ego quis sim non aegrius audi:
Non inimicus ego, ditissima munera caeli
Exspecto gaudens, praeceptaque sancta secutus,
Laudibus aeternum recolens precibusque Theandrum,
Coetibus intersum, quies tu, neu noscor ab ullo.
Appellor Marcus, praeclaro a sanguine cretus.
Veridici nomen Christi contemptis et odit
Usque meus pater, immortalia praemia ridens,
Turpe putans occisi hominis monumenta vereri.
Heu memini - infandum! - quotiens laetissimus ille
Agmina Christiadum narrabat ducta necari,
Pestiferi generis digni cruciatibus instar.
Tunc ego spernebam simili feritate perosus
Insontes homines, quos turpes ipse putabam;
Quin etiam cladem visens atque horrifica facta,
Nullas ex oculis lacrimas moerore profudi.
Postea cum gradiens primum te, Flavia, vidi
Persimilem nymphis per amoena vagantibus arva,
Ambrosio circum redolentem flore inventae,
Aspera continuo glacies de pectore fluxit,
Dulcius et quiddam tetigit praecordia raptim.
Omnia tunc novi de te, quin nosceret ullus
Nocte dieque simul mea mens quid volveret intus.
Iam pridem tua sollicitus vestigia sectans,
Christicolis subii penetralia pervia solis.
Impulsos tanquam divino afflamine cunctos
Ad summum vidi Regem sustollere vultus
Supplice dum multae resonabant murmure voces.
Permotus subito praesentia numina caeli
Percepi, et grato quasi nectare rursus alebar:
Tunc amor et pietas sua vincula tulere vicissim,
Quae ne triste quidem poterit dissolvere letum.
Ergo nonne animum fas est incendere amore,
Cum bona tanta mihi tu, virgo, prima parasti?
Si nondum vitiis prorsus noxaque solutus
Mox videar, citius lustrali fonte lavabor.»
Auditis stupuit mirans his Flavia verbis,
Aspiciensque polum facibus procul inde micantem
Sic ait: — « Omnipotens, agitat quod sidera, Numen
Id fieri voluit, fratrem te fratribus addi,
Tutior ut possis ad summas tendere sedes:
Ergo ne mentem studiis adverte profanis.
Me tamen hinc habeas vincitam pietate sororem,
Ut maneat foedi mea criminis inscia virtus.
Non violanda suis consevit Christus in hortis
Lilia, quae liquidis solentur odoribus auras.
Aspice praeterea quae perstent undique damna:
Num licet in rugis animum pertendere nostrum?
Te fortasse latent gemitus luctusque recentes?
Quot nostri fratres dudum iugulantur in horas!
Qui felix thalamus, cum magna pericula subsint?
Nos meliora manent nunquam moritura: propinquum
Tempus adest, quo nostra magis sit fulgida virtus».»
His virgo dictis abiit; iuvenisque relictus
Ingemit et lacrimis errantia lumina rorat.
Inque dies Marcus magis ardet amore pueriae,
Desinit et nunquam tacitum crudescere vulnus;
Pallescit facies, languescunt aegrius artus,
Numque nihil valet ingentem lenire dolorem:
Tu, veniente die, tu, deceidente, vocaris,
Flavia; te propter suspiria longa trahuntur.

Interea praeceps vulgatur rumor in urbe,
Christiadas multos iam dira morte peremptos,
Et plures alios ad caudem rursus ituros.

Non latet hoc Marcum maiore pavore trementem,
Qui adrolat ad caudem cursu festinus anhelo.
Horrida saevities miracula barbara praebet:
Undique humum sanie tepidoque cruento madentem,
Abiectos artus, lacerataque viscera cernit.
Crescit tortorum rabies, generosa sed illis
Obstat Christiadum tolerantia; multa parantur
Supplicii genera, at virtus animosior inde
Verbera virgarum perfert ac vulnera ferri.
Deficiunt fractae pulsantia brachia vires,
At percussa novum sustentat corpora robur.
Spes eadem cunctis pandit prosperrima quaeque,
Elysique magis properat divina voluptas:
Sic eadem cunctis est mens, ea regna subire,
In quibus aeternae cumulantur munera pacis.
Carnifices tandem consistunt. Praetor ad ipsum
Imperat ut quaedam pulcherrima virgo trahatur.
Iussa peracta statim: graditur religata catenis
Flavia, laetitiam spirans ex ore serenam.
Obiurgat praetor de relligione puellam,
Ista sed intrepide minitantia verba refellens
Vocibus ingeminat regi paeconia Christo.
Ast ille iratus tormenta acriora parari
Virgineis membris iubet, et diversa referri,
Ut diram subeat quae mortem spernere iactat.
Torquetur passis animosa puella capillis,
Vestibus abscessis nudatur pectus eburnum;
Multiplicat scelerata manus violentius ictus,
Nec pudet insanos tam candida plectere membra:
Effusus manat liventi corpore sanguis,
Procidit et virgo ceu flos succisus in herba.
Viderat haec Marcus tremuitque dolore repressus,
Attonitusque stetit, tanquam de marmore signum.
At quando exanimis visa est procumbere virgo,
Collectis animis et viribus inde resumptis,
Tandem se medios ululans coniecit in hostes:
Ut leo, qui gestans infixum poplite telum
Terribili fremitu queritur silvisque minatur.
Virginis ille caput morientis sublevat ulnis,
Et lacrimis miscens gemitus de pectore ductos:
— « Flavia, - clamamat, - dulcissima Flavia, tecum
Ecce meam cupio tristem profundere vitam.
Lumina paulisper reserans tu respice fratrem,
Fratrem, qui exoptat simili requiescere morte».»
Addere plura nequit: dum corda tumentia moerent,
Rumpitur effrenus reboataque per aera plangor.
Flavia, vix oculis flexis, moritura beate
Subridet, diffusa genas fulgore corusco,
Protinus atque animam multo felicior efflat.
Hinc iuvenis magnis clamoribus aethera complens
Praetori increpitat fraudes facinusque nefandum:
— « Barbare, - ait, - rabiem qui gestas corde ferinam,
Me quoque tortorum laniet tibi fida caterva.
Rursus Christicolum teneas: ulciscere crimen.
Tu iubeas, truculente, novas exquirere poenas:
Verbera non metuo, doctus sufferre dolorem».»
Talia dicenti transfigit pectora ferro
Immanis tortor: vix incerto pede Marcus
Stat, titubat, tandem motu procumbit inerte,
Et resupinus humili fundit cum sanguine vitam.
Proxima virgo iacet iuveni: duo corpora iuncta,
Sanguis uterque fuit meliori sorte remixtus:
In caelis ambo solemni foedere gaudent.


Amastrae, Idibus Maiis, 1905.

JOSEPH SCOPA.

BURGHESIANUM MUSEUM.

INTER aliae Urbis thesauros, antiquae simulacra recentioris artis mirifica exempla complectentes, Burghesianum illud museum recensendum est, a Scipione S. R. E. Cardinali Burghesio nuncupatum, quod vir hic clarissimus, nepos ex sorore Pauli V Pont. Max., et a suis civibus « Romae deliciae » appellatus, in medio suburbano rure exstruxit, opera Ioannis Fiammingi architecti, vulgo *il Vasanzio*. Inter semitas ex lauro, cypressu, myro excitatae aedes, hinc illie cippis statuisque circum interpositis, ita ut animum quodammodo ad artis delectationes disponerent.

Moles quadrata atque ornamentis ditissima. In primo aditu magnus oculus locum praebet conelavibus altis, patulis, luce abundantibus,



Burghesiani musei prospectus.

quorum in fornicibus parietibusque pictores, non ignobiles quidem, uno colores illeverunt, aliique artifices coronaria opera lapidesque pretiosos induxere: undique magnificentia, splendor, rectumque iudicium, quod non ipse musei conditor, sed nobiles viri, qui ei per saecula successerunt, apprime monstrarunt, inter quos peculiari memoria dignus M. Antonius ille, qui Gabii monumenta simul ac in lucem venerunt, sibi procuravit.

Verum quum Camillus Burghesius Paulinam Bonaparte uxorem duxit - cuius effigiem Canova sculptor reddidit marmore immortalem - atque Napoleoni imperatori leviro suo morem gessit agrumque Lucediensem cum ducentis praeclaris operibus Parisios translati communavit, musei excellentia deminuta est, tantumque post varios eosque multiplices labores et impensas factum est ut iterum superiore saeculo instauraretur.

Anno denique MDCCXC in museo pinacotheca addita, quam Burghesia gens in Urbano palatio collegerat, in uno loco sic conclusis tot praeclaris operibus, quae lector aciem oculorum intendens in aularum figuris, speciminis gratia in commentarium nostrum hodie allatas, vix mente sibi effingere poterit.



VARIA LATINITAS

PAROEMIAE SIVE ADAGIA (1).

DE AMICITIA.

Amicorum communia omnia ($\Gamma\zeta\tau\omega\varphi\lambda\omega\gamma\zeta\omega\eta\zeta$). — Ex hoc proverbio Socrates colligebat omnia bonorum esse virorum non secus quam deorum: Deorum - inquit - sunt omnia; boni viri deorum sunt amici, et amicorum inter se communia sunt omnia; bonorum igitur virorum sunt omnia. Refertur adagium apud Euripidem in *Oreste*: « Inter enim amicos cuncta sunt communia »; in *Phoenissis*: « Communis omnis est amicorum dolor »; et in *Andromacha*: « Nam vere amicis proprium prorsus nihil; sed inter ipsos cuncta sunt communia ».

Te Lacedaemonio velat toga lota Galeso,
Vel quam seposito de grege Parma dedit:
At me, quae passa est furiosi cornua tauri,
Noluerit dici quam pila prima suam.
Misit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas:
Non vendes nummis coccina nostra tribus.
Tu Lybicos Indis suspendis dentibus orbes:
Fulcitur testa sagina mensa mihi.
Immodici tibi flava tegunt chrysenteta nulli:
Concolor in nostra, cammare, lance rubes.
Ex opibus tantis veteri fidoque sodali
Das nihil, et dicis, Candide: $\kappa\omega\eta\varphi\lambda\omega\gamma\zeta$?

Eleganter Theophrastus apud Plutarchum in commentariolo, cui titulus *Περὶ φιλαδελφίας*: « Si res amicorum communes, maxime convenit ut amicorum item amici sint communes ». Cicero (*De leg.*, I) videtur hoc adagium Pythagorae tribuere, quum ait: « Unde enim illa Pythagorica vox $\tau\zeta\varphi\lambda\omega\gamma\zeta\omega\eta\zeta$ $\kappa\omega\eta\varphi\lambda\omega\gamma\zeta$ $\iota\sigma\tau\eta\tau\zeta$ » id est: « Res amicorum communes, et amicitiam aequalitatem ». Praeterea Timaeus apud Diogenem Laertium tradit hoc dictum primum a Pythagora profectum fuisse. A. Gellius (*Noct. Att.*, I, 9) denique testatur Pythagoram non solum huius sententiae parentem fuisse, verum etiam huiusmodi quamdam vitae ac facultatum communionem induxisse.

Amicus alter ipse ($\Gamma\omega\varphi\lambda\omega\gamma\zeta$, $\epsilon\tau\epsilon\varphi\omega\eta\zeta$ $\alpha\omega\tau\omega\eta\zeta$). — Haec quoque ad Pythagoram auctorem referunt, quod eamdem complectantur sententiam $\tau\zeta\varphi\lambda\omega\gamma\zeta\omega\eta\zeta$ $\iota\sigma\tau\eta\tau\zeta$ $\epsilon\in\omega\zeta$, $\kappa\omega\eta\varphi\lambda\omega\gamma\zeta$ $\psi\chi\zeta\eta\zeta$, $\tau\zeta\varphi\lambda\omega\gamma\zeta\omega\eta\zeta$ $\epsilon\tau\epsilon\varphi\omega\eta\zeta$ $\alpha\omega\tau\omega\eta\zeta$, id est: « Amicitiam aequalitatem esse et eamdem animam; amicum alterum ipsum ». Neque enim quidquam non commune, ubi fortunarum aequalitas, neque dissentio ubi idem animus, neque divertium ubi coagmentatio duorum in unum. Aristoteles (*Magn. moral.*, II): « Quoties - inquit - volumus vehementer amicum dicere, una, inquit, anima mea et huius.... Est enim, ut dicere solemus, amicus alter ego ». Plato (*De legib.*, VI) citat tamquam vetus dictum et ceu proverbium iactatam aequalitatem amicitiae; non tamen sentit iuvenibus ac senibus, doctis atque indoctis, stultis ac sapientibus, robustis ac debilibus omnia aequalia exhibenda esse, sed cuique pro sua dignitate distribui oportere: inaequalibus enim aequalia scribit - erunt inaequalia. Et, ut summum ius in summam iniuriam vertitur, ita summa aequalitas, summa fit inaequalitas. Quemadmodum festiviter dixit Plinius, aequalitatem in ferendis sententiis nihil inveniri posse inaequalius. Quamquam hoc etiam quidam ex Homero sumptum existimant, ad quem illud aliquoties: $\iota\sigma\omega\eta\epsilon\mu\eta\kappa\omega\varphi\chi\lambda\eta\zeta$, h. e.: Aeque atque meum ipsius caput. Et haec omnia Aristoteles (*Moral.*, IX) proverbii titulo affert.

(*Sequetur*).

MUSICORUM CONVENTUS

APUD AUGUSTAM TAURINORUM.

Quo tempore in Urbe maximus cogebatur con-
ventus pro Eucharistia rite in populis colenda, et simul a clarissimis viris agebatur quanam potissimum ratione esset maiore cultu ac reverentia a civitatibus usque ad humiles pa-
gos adoranda, Augustae Taurinorum haud in-

(1) *Adagium* (graece *Ιαρωμάτια*) appellatur dictum, quo continetur aliqua sententia, aut praeceptum utile ad actiones vitae recte componendas. — Quae edemus pleraque ab A. Manusiis operibus deduximus.

decorus conventus fiebat virorum qui artem musices callerent.

Mirum sane quot clarissimi viri ex omnibus Italiae partibus convenirent, ea modo causa, ut ars musicorum sacra, Pii X Pontificis Maximi vestigiis insistat, qui nuper placitum edidit ad arcendam e templis musicam illam profanam, quae theatrum omnino redolens, a pietate, atque a religione mentem revocare apud nos consueverat.

Hi viri illustriores vel musicis concentibus, vel organis, per tres dies verbis et re illuc contendere nisi sunt, ut in posterum nihil iam in templis exaudiatur praeterquam sanctum atque impollutum.

Sic quidquid ex ingenio Palestinae olim profluxit, quidquid ex eius discipulis, id unum castum habeatur atque adprobetur. Quod vero ab eius ingenio alienum, cautum est ab illis acuti atque acerrimi indicii viris, ut ineptum et hoc reprobandum aestimetur.

Et multae cantorum scholae, quibus augusta civitas maxime honestatur, quae apud singulas urbium paroecias, statutis diebus, coluntur, optimum undequaque specimen dederunt. Et pueri aderant, aderant et adulti; illi vel adhuc scholis primis addicti, hi vero opifices atque adsueti ad vitam sibi quaestu captandam. Quae quum vidisses, in mentem subito revocasses illud Vergilii:


*Iam nova progenies caelo demittitur alto!
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo!*

Postquam vero diu graviterque de re musica inter se se, in varia concilia distincti ac divisi, consuluisserunt, ipsi, sub vesperum, apud aedes se se alacres conferebant, quibus est nomen *Oratorio di S. Francesco di Sales*.

Illic erat praeceptum, hic actio; illic consilium, hic executio. Post insigne hoc musices specimen, magna procul dubio est relata pro musicis sacris victoria.

Ad haec, ut facile a templis musica illa repellatur, quae e theatris egressa, per compita et per fora passim exauditur, multa sunt a multis iusta proposita placita. Utinam vero haec tandem ad manum venerint, tunc viribus omnium sapientiam coniunctis, populus christianus nihil invendendum esse putaverit hominibus profanis, qui licentiosa spectacula frequentare consueverint.

Cum cantus vetustioris aevi, exaudita quoque fuerunt, in nostris coetibus nocturnis, cantus aevi recentioris. Placet prae ceteris memorare quae, abhinc paucos annos suavissime composuerat D. Therminon, taurinensis, scholae olim magister Academiae a Stephano Tempeia dictae, qui primum apud subalpinos hoc musicum Collegium invexit.



Burghesiani musei altera ex aulis.

Adest religiosa pompa, in qua, mirum in modum, exprimitur cantus ille Paschalis qui incipit: *Salutis humanae Sator!*

Hie primum e procul levissima voce exauditur, mox proprius accedit, et numeris distinctis atque elationibus, tandem in conspectu adest, atque iterum lentis pedibus, sensim sine sensu, recedit, ut ad ultimum longissime finiatur. Nil dulcius, nil suavius, nil unquam tam perfecta executione expressum!

Fit plausus universalis, et tellus caelumque dat plausum ingentem.

Ea fuit maximi omnium musicorum conventus optima conclusio.

SUBALPINUS.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Concilii Tridentinis decretis interpretandis:

Missae, quae ex onere perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus aut locis pii quibusvis, sed in nulla ecclesia sunt constituta, ita ut a qualibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubi vis applicari possint, ad instar manualium habendae sunt. (Ex decr. Aliph. d. xix mens. Decembr. an. M DCCCC IV).

— Sacerdotes, quibus a rectoribus seu administratoribus ecclesiarum committitur satisfactio unius aut plurium legatorum Missarum, in ecclesia fundatorum, non possunt pro suo arbitrio committere earum Missarum celebrationem aliis sacerdotibus cum minori eleemosyna etiam extra ecclesiam propriam (Ibid.).

— Sacerdotes fruentes cappellaniis fundatis sive ecclesiasticis sive laicibus non possunt aliis sacerdotibus Missas suarum cappellaniarum celebrandas committere statuta eleemosyna pro suo arbitrio (Ibid.).

— Contra transgressores art. IV decr. *De Observandis* (1) Episcopus procedere potest in particulari, servatis de iure servandis, etiam cum censuris (Ibid.).

Ex Congregatione Episcoporum et Regularium:

Consuetudo ingrediendi clausuram ad Monialium funera persolvenda tolerari potest. (Ex decr. d. XII mens Novembr. an. M DCCCC IV).

Ex Congregatione Propaganda Fidei:

Canonicis titulares Capitulorum Cathedralium in Anglia, si iustis de causis a canonicatu se abdicent, inter Canonicos honorarios, auditio antea Capitulo, ab Episcopo cooptari poterunt, qui tamen nunquam habent ultra tres. (Ex decr. d. VII mens. Iulii an. M DCCCC IV).

— A Vicariatu Bataviae seiungitur totum insulae Bornaei territorium, quod nunc Hollandiae dominio subest, in eaque erigitur nova Praefectura Apostolica nomine *Bornaei Hollandici* nuncupata, atque Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum curis traditur. (Ex decr. d. XI mens. Febr. an. M DCCCC V).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgientiarum et Sacrarum Reliquiarum:

Potest continuari consuetudo immemorialis, qua recitatur vel cantatur a Confratribus Officium Defunctorum Dominicis aliquis festis de praeepto, dum iidem adstant Missae de die currente, exceptis tamen festis per annum solemnioribus, nempe duplicibus I classis et Dominicis privilegiatis item I classis. (Ex decr. d. VI mens. Sept. an. M DCCCC IV).

— Confirmatur cultus ab immemorabili tempore praestitus V. S. D. Carolo De Blesis, duci Britanniae, beato noncupato. (Ex decr. d. XIV mens. Decembri an. M DCCCC IV).

— Indulgientia adnexa orationi B. M. V. Immaculatae, a Pio PP. X compositae occasione eiusdem Iubilaei, in perpetuum lucrari poterit et animabus Purgatori applicari. (Ex decr. d. XI mens. Ianuarii an. M DCCCC V).

— Festum Titularis Ecclesiae abbatis in ecclesiis Monasterio incorporatis, praeter Titularem Ecclesiae parochialis, celebrandum non est ritu duplice I classis cum Octava, eo quod ibi Monachi qua parochi curam animarum exercant. In Officio, praeter suffragium Titularis Ecclesiae parochialis non est dicendum etiam illud Titularis Ecclesiae abbatialis. (Ex decr. Ord. S. Benedicti Congregationis Austriacae d. XXVI mens. Ian. an. M DCCCC V).

— Omnes Sacerdotes in ecclesia saeculari celebrantes Regularibus ad tempus concedita, illius kalendarium sequi debent. (Ex decr. d. XXVII mens. Ian. an. M DCCCC V).

— Altare cuiuslibet oratori Puellarum a charitate S. Vincentii a Paulo privilegiatum censemur pro omnibus Missis, quae in eo celebrantur. (Ex decr. d. I mens. Februarii an. M DCCCC V).



Burghesiani musei pinacotheca (Aula IV).

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. VII, n. IX, pag. 70

— Toleratur Campostellanensis antiquissima consuetudo transferendi solemnitatem festi SS. Corporis Christi, dummodo festum dicatur solemnitas tantum externa cum unica Missa solemnii vel cantata et Processione cum SS^o Eucharistiae Sacramento, non tamen si pro festo intelligatur officium cum Missa sub relativo ritu cum Octava. (Ex decr. d. IIII mens. Februarii an. M DCCCC V).

— Sacerdotes saeculares sequi debent kalendarium ecclesiae regularis, in qua celebrant, etiam habitualiter ex officio. (Ex decr. d. V mens. Februarii an. M DCCCC V).

— Obligatio celebrandi festum Dedicationis Ecclesiarum, Dominica post Octavam Omnium Sanctorum, per decretum Cardinalis Caprara imposta omnibus Ecclesiis Gallicanis extenditur ad omnes regiones decursu temporis Galliae subiectas sine ulla praevia concessione Sanctae Sedis, vel expressa declaratione Praelati ecclesiastici, sive ibi sint Ecclesiae consecratae, sive tantum benedictae. (Ex decr. d. I mens. April. an. M DCCCC V).

— Indultum pro Missa votiva Immaculatae Conceptionis B. M. V. extenditur quoque ad Sacerdotes saeculares III Ordinis S. Francisci; hisque et Sacerdotibus I ac III Ordinis Regularis etiam in privato Oratorio eadem celebrari Missa permittitur. (Ex decr. d. XXII mens. Martii an. M DCCCC V).

— Beatus Ioannes Baptista Vienney parochus loci Ars patronus caelestis renuntiatur sacerdotum omnium qui animarum curam gerunt. (Ex decr. die XII mens. April. an. M DCCCC V).

— Usus instrumentorum, quae vulgo *violini, viole, violoncello, contrabasso, flauti, clarini, fagotti, trombe* admitti potest in illis functionibus et temporibus in quibus sonus organi aliorumque instrumentorum non prohibetur a Caeremoniali Episcoporum, a *Motu proprio* SS. D. N. Pii PP. X de musica sacra, et a Decretis S. R. C. uti in Pisana, d. XXI mens. Martii M DCCCC III et in Campostellana d. VIII mens. Ianuarii M DCCCC IV super Triduo Maioris Hebdomadae; verum iuxta prudens Ordinarii arbitrium in singulis casibus cum dispensatione a lege et praxi communi adhibendi in sacris functionibus cantum gregorianum vel musicam polyphoniam aut aliam probatam. Usus vero dictorum instrumentorum permitti nequit in Officio defunctorum. In Missa denique defunctorum et absolutione teneantur quae superius declarata sunt et servatis servandis, ita ut sonus organi aliorumque instrumentorum tantum ad sustinendas voces adhibeatur et sileant instrumenta quum silet cantus iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. I c. XXVIII n. 13. (Ex decr. Campostellana d. XV mense April. an. M DCCCC V).

ACTA PONTIFICIA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPAE X

LITTERAE IN FORMA « BREVIS »
CIRCA EQUESTRES ORDINES
AB APOSTOLICA SEDE CONCEDENDOS.

PIVS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Multum ad excitandos ad egregia facinora hominum animos, praemia virtuti redditia valent, quae dum ornant egregios bene de re sacra vel publica meritos viros, ceteros exemplo rapiunt ad idem laudis honorisque spatium decurrentum. Hoc quidem sapienti consilio Romani Pontifices Decessores Nostri Equestres Ordines, quasi gloriae stimulos, singulari studio prosequuti sunt, horumque alios instituere, alios iam institutos, vel pristino decori restituerunt, vel novis ac potioribus privilegiis ditarunt.

Nunc autem cum peropportunum visum sit gravibus de causis quaedam immutare de nonnullis Equestribus Pontificis Ordinibus, nempe de Ordine Sancti Silvestri Papae sive Militiae Auratae, ac de Ordine Militiae Iesu Christi, Nos collatis consilii cum dilecto filio Nostro Aloisio S. R. Ecclesiae Diacono Cardinali Macchi, a Brevibus Apostolicis Litteris Secretario, et Pontificiae Sedis Equestrium Ordinum Magno Cancellario, omnibus rei momentis attente ac sedulo perpensis, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris haec quae infrascripta sunt decernenda existimamus.

Neminem latet Ordinem Militiae auratae, sive ab aureo calcari, inter vetustissimos iure esse enumerandum; Constantino enim Magno Imperatore, Silvester PP. I sanctae memoriae Decessor Noster, auctor illius fuisse dicitur. Hic priscis potissimum temporibus a Decessoribus Nostris magno semper in honore habitus est; sed postea rerum humanarum ac temporum vicissitudine de veteri splendore ac dignitate excidit. Illum per Apostolicas Litteras die XXXI mensis Octobris anno M DCCC XXXXI eadem hac forma datas Gregorius PP. XVI rec. mem. Decessor Noster ad pristinum decus curavit revocandum: ipsi vero titulum S. Silvestri Papae tribui iussit atque exinde novum quasi constituit equestrem Ordinem S. Silvestri Papae, sive auratae Militiae appellatum. Eundem Ordinem duabus tantum constare classibus praescripsit Commendatorum, et Equitum, sed in praesens iustae et rationabiles causae suadent ut etiam Equester Ordo S. Silvestri, non minus atque ordines Gregorianus et Pianus tribus in posterum classibus constet, Equitum scilicet, Commendatorum, et Equitum a Magna Cruce. Nos itaque superiorem illam classem Ordini S. Silvestri tribuentes, eundem a Militia aurata penitus seiungendum esse arbitramur: ne vero nobilissimi ordinis Militiae auratae memoriam aetas obliteret, et ipsam Militiam in distinctum Equestrem coetum de integro constituendam edicimus.

Quae quum ita sint, hisce Litteris, auctoritate Nostra, perpetuum in modum decernimus ac mandamus ut Equester Ordo S. Silvestri Papae, ab illo Militiae auratae omnino separatur, atque alterum ab altero, per praesentes, ita seiungimus, ut duo diversi ac distincti in posterum Ordines exinde efformentur, alter a S. Silvestro Papa appellandus, et alter a Militia aurata sive aureo ex calcari. Ordo S. Silvestri, non aliter ac Pontificii Ordines supradicti Gregorianus et Pianus tribus constet classibus, nempe Equitum sive tertia, Commendatorum sive secunda, et Equitum a Magna Cruce sive prima classi. Crux Ordinis propria eadem esto atque hodierna, dempto aureo pendente calcari; sit videlicet aurea, octangula, alba superficie, Imaginem S. Silvestri Papae in medio adversa parte referens, aversa vero emblemata Pontificium caeruleo inclusum circulo, quo tum Gregorianae instauracionis, quum hodiernae renovationis anni aureis litteris imprimantur M DCCC XXXXI et M DCCCC V. Ipsa Crux argenteae stellae radiis imposita. Ordinis numisma sit. Similiter ruber ac niger sint fasciae ordinis propriae colores. Sit vestis nigri coloris tunica, unico globulorum ordine ad extremas manicas et circa collum villosa serico nigro ornata, ac phrygia ex auro operibus distincta. Femoralia nigra sunt, paelonga cum fascia ex auro. Niger ex serico villosa galerus oblon-

gus, duplice cuspide, emblemata Pontificio ac parvo aurato flocco insignis. Ensi, aurato cingulo innexo, capulus sit e concha albida, ornata auro. Tum Crucis moduli ac numismatis, tum vestis opera phrygia, tum galeri ornamenta pro vario Equitum gradu different, minora scilicet pro Equitibus simplicibus, pro superioribus classibus maiora. Gerant Equites Crucem sinistro pectoris latere dependentem et aenia serica rubro et nigro distincta colore extremis oris rubris. Gerant Commendatores Crucem eandem maioris moduli, simili taenia collo circumducta pendente, galerum nigra ornant penna. Equites denique a Magna Cruce gerant Crucem maximi moduli quae fascia serica pae longa, binis ordinis coloribus picta, dextero humero sustineatur; sinistro vestis lateri ad pectus innexum proprium primae classis numisma maius deferant; albam galero pennam imponant. Cum vero contingat ut viri ad gradum Commendatorum evehendi egregiis iis meritis eniteant, quae quasi potiora Pontificiae voluntatis testimonia exposcant, volumus, ut sicut fieri interdum solet in ordinibus Gregoriano et Piano, etiam Commendatores Ordinis S. Silvestri Papae ex singulari prorsus gratia numismate ut queant minori, secundae classis proprio sive Commendatorum, illudque ad pectus sinistro lateri innexum gestent.

Quod vero attinet ad ordinem Militiae auratae, sive ab aureo calcari, sic auctoritate Nostra ab Ordine S. Silvestri Papae seiunctum, animo repetentes vetustissimas et gloriosas ordinis illius memorias, Nos eum non solum ad pristinum gradum restituere, sed novo etiam splendore cohonestare, ac funditus sub caelesti Immaculatae Virginis patrocinio per praesentes instaurare statuimus. Et sane quum Pontificia Sedes Ordini Equestri caret, qui sit sub Virginis praesidio constitutus, hoc potissimum anno, a solemn definitione Dogmatis Immaculatae Conceptionis quinquagesimo, atque hac tempestate qua tot tantaque mala videt lugetque christianus orbis, placet Nobis huic Equestri Ordini in quem dumtaxat fortissimi Ecclesiae Dei vindices atque adsertores erunt cooptandi, caelestem Patronam Immaculatam illam Deiparam Virginem adsignare, quae « terribilis sicut castrorum acies ordinata » draconis inferni caput victrix conteret. Quocirca praecipimus ut in Ordinem Militiae auratae, sive ab aureo calcari, ii tantum inserantur praestantissimi viri, qui vel armis, vel scriptis, vel praeflaris operibus rem Catholicam auxerint, et Ecclesiam Dei virtute tutarint, aut doctrina illustraverint, ideoque tribui poterit tum iis qui qualibet alia equestri dignitate sint expertes, cum illis qui iam splendidiорibus titulis et ipso supremo Militiae Iesu Christi ordine potiantur. Ordo Militiae auratae constet unica Equitum classi. Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis Motu proprio conferatur: liber esto a iuribus Cancillariae; Equites pro universo Catholico orbe centum numerum non excedant, ne dignitas ex frequentia minuatur. Quoad huius ordinis propriam Crucem, iuxta tenorem similium Benedicti PP. XIV rec. mem. Nostri Decessoris in forma Brevis Litterarum, sub die VII Septembris mensis anno M DCC XXXVII, quibus cautum est ne Equites Militiae auratae, Crucem Hierosolymitani Ordinis usurparent, volumus ut Crux Ordinis eiusdem Auratae Militiae, sit octogona, aurea, enchausto flavo obducta, cum aureo inferius dependente calcari; referante in medio parvum numisma album, au-

re aduersa parte, inclusum circulo et Augustissimo Virginis Mariae nomine inscriptum, aversa vero numerum referat praesentis anni M DCCC V et in circulo « Pius X restituit » Cruci trophyae ex auro superemineat. Eadem Crux argenteae stellae radiis super imposta Ordinis numisma sit. Careant Equites torque, sitque eorum vestis rubri coloris tunica, duplii ordine globulorum ex auro, circa collum atque ad extremas manicas serico villoso nigro distincta cum fimbriis aureis. Humeralia sint, tum aureis laciinis, tum ordinis emblemata superne ornata. Femoralia praelonga sint e panno nigro, cum aurea fascia. Calcaria aurea. Oblongus, duplii cuspidi, fimbriatus auro galerus, Pontificios referat aureo nodo inclusos colores. Aurata Crux sit gladii capulus, vagina nigra, cingulus aureus cum fimbriis rubris. Sicuti priscis temporibus Ordinis taenia sit rubri coloris, sed circumdata albo. Gestent Equites Crucem taenia serica rubra extremis oris alba, collo circumducta dependentem. Inserant ad pectus sinistro lateri numisma. Quibus animi ingenique dotibus lectissimos viros hoc ordine decorandos, praeditos esse oporteat clare, superius significavimus, ideoque ut hi semper meritis dumtaxat propriis commendentur, omnes concessiones etiam a Decessoribus Nostris Militiae auratae Equitibus factas, circa privilegium nobilitatis, et Palatini Comitis titulum quae fortasse nondum, sublatae fuerint, vi similium Apostolicarum Litterarum Gregorii Papae XVI, sub die XXXI Octobr. anni M DCCC XXXXI quas ante recensuimus, per praesentes auctoritate Nostra interposita omnino abrogamus, easque in posterum nullius roboris esse decernimus ac statuimus.

Denique oculos mentis nostrae convertentes ad Militiae Iesu Christi nobilissimum ordinem, quem anno M CCC XVIII post Ordinis Templi ruinam, Dionysius I Portugalliae et Algarbiorum Rex instituit, auctore et auspice Ioanne PP. XXII sec. mem. Praedecessore Nostro, hunc equestrium Pontificiae Sedis Ordinum, supremum esse auctoritate Nostra, per praesentes edicimus ac mandamus, quo non alter sit dignitate potior, sed ceteris amplitudine ac splendore superemineat. Una sit Equitum classis, sed quo magis per Nos consultum sit huius Supremi ordinis decori, volumus ut posthac Crux ordinis propria collo dependeat, ex aureo torque, qui constet alternis clypeolis Crucem ordinis ac Pontificium emblema referentibus nodis aureis inter se iunctis. Traditum enim memoriae est, et ipsos veteres dictae Militiae Equites simili torque iamdiu usos fuisse alternis ensibus ac tiaris caelato. Similiter volumus ut corona querna ex auro, parva taenia, ex enchausto rubro, inferius vincta Crucem concludat: tandem ut femoralia alba e serico rasili genua non praetergrediantur; caligae sint sericae, et item albae; aureae denique fibulae calcceolos ornent. Quoad tunicam,ensem et alia ornamenta nihil immutetur.

Verum tamen expresse mandamus ne inter Equites eiusdem Militiae discriminem contingat, sed unusquisque ordo stemmata, insignia, arma, atque ornamenta, a Sancta Sede praescripta servet integerrime, ut praefata insignia Cruces, numismata, vestes, enses, opera phrygia, atque ornamenta tum propria ordinum supradictorum S. Silvestri Papae, Militiae auratae, ac Militiae Iesu Christi, cum ceterorum quos Apostolica Sedes conferre solet, sint adamussim confecta ad norman exemplarium quae in Cancellaria Equestrium Ordinum, penes Nostram

a Brevibus Apostolicis Litteris Secretariam, iussimus asservari; simulque prae oculis habentur apposita schemata, quae singulis vicibus, cuilibet equestri dignitate aucto, de more traduntur.

Haec statuimus, mandamus, praecipimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectat plenissime suffragari; irritumque et inane si secus quidquam super his a quoque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quae sit non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non supradictorum equestrium ordinum etiam statutis, ceterisque contrariis licet speciali mentione dignis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die VII mens. Febr. anno M DCCC V, Pontificatus Nostri anno secundo.

ALOIS. Card. MACCHI.

DIARIUM VATICANUM.

(Die XXI mens. Maii — d. XXI mens. Iunii M DCCC V).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliasque viros, qui sui cuiusque muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Tusculani cives ab episcopo suo Purpurato Patre Francisco Satolli coram adducti; Ferdinandus Radziwill princeps eiusque uxor; Nicolaus Szécsen De Temerin comes, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Iulius Betancourt, Columbiae minister; peregrinorum manus ex Brasilia; Ioannes Strozzi, Canonicorum regularium lateranensis et Sanctissimo Salvatore abas generalis cum concilio Ordinis sui; Albani cives ab eo uiro Antonio Card. Agliardi episcopo suo coram adducti; Belgae, Galli, Hispani atque Argentini cives qui Romanum peregre petierunt; Eucharistici Urbani Conventus legati; Emanuel Aguirre de Teiada-Valdosera, Hispaniae legatus apud Apostolicam Sedem; Amedeus De Biè, S. Ordinis Cisterciensis communis observantiae abas generalis.

Pontificiae electiones.

— R. d. Ioannes Graziani, vicarius Tudertinus, episcopus Charystien. renunciatur.

— R. p. Felix Fioretti, Congregationis Cleric. Reg. S. Pauli Apostoli (vulgo Barnabitarum) praepositus generalis, inter iudices Sacr. Rituum Congregationis adlegitur.

Vita functi viri clariores.

Die I mens. Iunii, Placentiae, Ioannes Baptista Scalabrini, illius dioecesis episcopus, Fini, in oppido Comensi natus an. M DCCC XXXIX. Vir singulari virtute atque insigni caritate, Evangelii praecones ad fidem in Italiam emigratis servandam congregavit, ac Societatem S. Raphaelis condidit ad eorum tutelam apud exteris gentes suscipiendam.

— Eadem die Vulsinii, ubi ortum duxerat, Iosephus Cozza Luzi ex Ordine S. Benedicti, S. R. E. alter a bibliotecario. Litterarum historicorumque monumentorum peritissimus plura edidit sapientiae suae documenta; e palimpsestis fragmenta Straboniana geographiae revelavit.

— Die XII Monachii Henricus Denifle ex Ordine S. Dominic, Imst in oppido natus an. M DCCC XLIV, Apostolicae Sedis alter a tabulario. Multa doctrina ipse quoque imbutus, multa vulgavit opera. Memoranda maxime quae de Lutero scripsit, quamquam imperfecta ob mortem reliquit.

Varia.

— Die XXI mens. Maii apud Eminentissimum virum Seraphinum Card. Vannutelli Slavorum episcopi congregantur ad « liturgicas » quaestiones pertractandas.

— Die XXV in Beatificationum aula SS. D. N. Pius PP. X sacra litat coram mulieribus e congregatione, cui a Mariae Filiiibus nomen, Romam undique terrarum peregre petentibus; eas deinde benigno alloquitur.

— Die I mens. Iunii ad XVI Conventum Eucharisticum in Urbe auspicandum, in Vaticana basilica Pontifex sacra sollemnia peragit.

— Die IV in eadem basilica, ipsius Conventus participes atque peregrini ad V millia hominum numerum congregantur, quibus orationem de SSma Eucharistia Pontifex habet.

— Die VI triumphal pompa Immaculatam Hostiam a Xystino sacello ad Vaticanum templum Pius PP. X deducit, sollemnia Eucharistica hoc ritu concludens.

— Die XI Pontificiae litterae de ratione circa religionis civitatisque negotia habenda ad Italiae episcopos mittuntur.

ANNALES.

Navalis pugna inter Iaponios et Russos.

Atrocissimum bellum quod in ultimo oriente perdurat, supremo discrimini obvenisse videatur navali certamine, quod Thsushima in freto superioris mensis postremis diebus locum habuit.

Ut enim fortunam belli sibi hactenus adversam in suam tandem partem Russi inclinarent, magnis impensis maximisque cautelis alteram tertiamque classem nordico in mari collegerant, quas aliam post aliam in Asiam mitterent. Classem, Rodjestwenski summo duce, vices in itinere repetere supervacaneum hodie est, et pescatorum caedes in anglico mari, et moras apud Gallorum africana littora, inducias denique apud eorumdem Gallorum Sinenses portus, quae tantas tamque varias iras concitarunt.

Nihilominus non tantum prima classis, sed etiam subsidiaria, Vladivostockium portum iam petebant, quum supremum fatum utramque disiecit. Advigilabat enim suasque vires iterum instruxerat Togo ille triumphator, cuius virtute Arthurus portus occupatus est. Is igitur quarto kalendas Iunias, sub vesperam hostiles copias Thsushima per fretum transeuntes repente aggressus est. Diurna quidem atroxque pugna fuit, atque per integrum noctem varia fortuna perducta; Iaponii tandem tum tormentis bellicis suis potentissimis, tum, idque maxime, missilibus naviculis hostium navigia submerserunt, aut verterunt in fugam, aut secum captiva abduxere. Vladivostockium versus vix naves duas paene incolumes aufugere; navarchi interfecti duo; alii captivi facti sunt omnes, quos inter Rodjenstwenski ipse princeps, qui modo Sasebo in urbe vulneratus iacet.



Pacis concludendae auspicia.

Hisce expletis, de pace tandem aliquando componenda suscepta consilia sunt, atque prius a Rooseveltio, nordicae Americanae foederationis praeside, utrique parti oblata. Men-

tem vero eius confirmarunt atque foverunt Angli, Galli, Germani, omnesque ceteri populi suam laetitiam apernere. Verumtamen non ita facile apparuit rem posse concludi; etsi enim uterque populus a pacis consiliis non abhorret, pacis tamen condiciones, quae a Iaponensibus proponi dicuntur, nimis iam graves esse videntur, ut Russis acceptabiles fiant. Quapropter induciae concessae neutri sunt, sed geritur acrius in Mandchouria bellum, ubi Oyama imperator oppugnare cominus hostem absque intermissione conatur. Haec itaque omnia quorsum evadant nemo hodie praevidere tuto potest.



Norvegorum Suedorumque regnum divisum.

Magnus alius gravissimusque eventus apud Suedos contigit. Quum enim Oscarius rex petentibus Norvegis, ut et sibi liceret suos consules per varias urbium gentes habere, restitisset, Norvegorum populares legati lata rogatione unanimi voce censuere, a foedere cum Suedis finitimi sibi esse discedendum regemque ipsum esse dimittendum. Facta itaque lege, altera ab altera gens est seiuncta, neque aliud Suedis superfuit, quam aut armis dimicare, aut tollere decreta. Quod postremum videtur maluisse rex, probe noscens nullum esse peius foedus quam quod non studio et sponte, sed vi et odio retineatur. Sunt vero qui dicunt ad Norvegorum thronum fore ut filius Oscarii regis ad vocetur tertius, qua pactio amicitiae vineula saltem inter utrumque populum satis tuta maneat.



Iberorum regis iter atque periculum.

At magis dolet animus horrenda referre crimina, quae supremo tempore perpetrata sunt.

Lutetiae primum, quum Alfonsus rex ab Iberis ad Gallos venisset, exceptus magna laetitia est, eoque animorum gaudio qualem inter populos uno eodemque sanguine genitos dect. Verum media nocte, quum solemnis comitatu a ditissima spectaculi pompa reverteretur, quam in theatro Lutetienses ei obtulerant, impius quidam nefariusque sicarius regis ad currum inopinato accessit globumque iguitae pulveris equorum inter crura audacissime iniecit. Qui quum confactus prosiluisset, mirum dictu quomodo rex atque Gallorum praeses, qui curru adsidebant, incolumes evaserint. Nam nec vulnerati nec enecati defuere complures sive ex vigilibus custodibus, qui regales currus tuebantur, sive ex multitudine, quae ovans spectabat in via.

Rex praelestim animo non fractus, intrepidis oculis et firmo nutu circumstantium metum cohibuit.

Ex Gallia autem aliquot post dies ad Anglos feliciter appulit. Ibi quanta comitate ab Eduardo rege exceptus sit nemo dicat, a quo immo alterius ex equitum legionibus selectis praefectus honoris causa est renunciatus. Rediens tandem ad suos, publicae rei perturbationes novissimas invenit, quibus mederi sine mora tempus suadet.

Regales nuptiae.

In Germania vero paulo maiora canuntur. Nuptialia enim carmina sonant Wilhelmi Caesaris filio Mecklemburgensis ducis filiam uxorem ducenti maximo cum omnium Germanorum gaudio. Berolini eas ob nuptias feriae habitae sunt splendidissimae, quibus universi cives suam operam contulere. At ibi quoque, ut in ceteris humanis assolet, extrema gaudii luctus occupavit; nec enim adhuc probna carmina silebant, quum Leopoldus ille imperialis gentis atavus, qui feriis aderat felicissimus Wihelmi Caesaris hospes, subitaneo obitu cecidit.



Vindobonensia principum colloquia.

Praetereunda non est Nicolai, Nigri Montis principis, ad Iosephum Austrorum Caesarem visitatio, cuius occasione tum cum Francisco ipso, tum cum Golucowskio, rerum ad exteriores gestore, ea colloquia habita sunt, quae multa eaque magna de tutanda per Macedoniae fines pace constituerunt.



Cretenses motus.

Creta interea in insula motus atque seditiones non desunt, ut optatam cum patria unionem incolae assequantur. Seditiosi vero iam in montibus Caneam circa urbem considerunt, oppida constituentes, unde vi et armis propositum suum assequantur.

carunt: eam ob rem foedus cum Suetiis est abscissum atque Norvegi populares legati uno animo rogata lege regem suum dimisere, et in eius locum ministros, ut pro tempore civitatem regerent, delegarunt.

In Serbia, Stoianovichio administratorum praeside munere abeunte, Wassa Antonitchius suffectus est, regicidarum acerrimus inimicus.

In Suetia Oscarius ipse rex ad legatos vehementem orationem habuit, ut contra Norvegos a foedere antiquo discedentes obtestaretur.

AENIGMATA.

Fraternae voces geminae, quas, lector amande, Quaeras, paene sonant pariter. Thema, quod doceamus, Diversum nempe est; similes tamen associamur. Afficimus sensus ambo; gelidissima taetra Aspernantibus est nobis nox atque inimica. Dissimiles nos reddit vertice littera prima. Phoebus nos gignit. Nostrum utrum possidet Iris? Illi deme prius! Regalis in aequore vates, Ecce, Caystrius ales adest, albusque, canorus!

A. E. DE DRUFFEL.

Ex sociis, qui integrum aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet IOSEPHI ROMEO elegiam

AD PIUM X.

Aenigmata an. VIII, n. IV proposita his respondent:

1) Crocus, Procus; 2) Dolo, Dolor.

Ea rite soluta miserunt:
Arth. Fallon, *Bruxellis*. — D. Le Provost, *Briocen*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Ferd. Canonicus Ferrari, *Guastalla*. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Andr. Pápay, *Pruissina*. — Lad. Lud. Podobinski, *Bochnia*. — I. A. Oudemans, *Traiecto ad Rhenum*. — Ioan. Cantono Ceva marchio, *Vercellis*. — Seminarium Episcopale Guastallense. — Alois. Berthé, *Montoron*. — Senior Astensis. — Petrus Tergestinus. — Ios. Matysak, *Scepusio*. — Em. Gschwind S. P., *Praga*. — Greg. Cleary O. F. M., *Roma*. — T. Chave, *S. Boize Id.* — St. Lawinski, *Niemystow*. — Mich. Vidal, *Palma, in insula Maiorica*. — Felix Dacomo, *Atba*. — Collegium Scholarum Piarum *Stellae*. Sortitum est praemium:

SEMINARIUM EPISCOPALE GUASTALLENSE,
ad quod missa est I. B. FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cui titulus:

SATURIO.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

CARLO PASCAL. *Graecia capta*. Saggi sopra alcune fonti Greche di scrittori Latini. — Florentiae, ex off. libr. Le Monnier, 1905.

Dott. G. B. BELLISSIMA. *L'ode d'Orazio a Virgilio per la morte di Quintilio Varo*. Saggio critico. — Beneventi, ex off. De Martini, MCMV. (Ven. lib. 1,00).

Prof. FRANCESCO SOFIA ALESSIO. *Carmina*. Poesie latine con traduzione italiana. — Messanae edid. Paulus Trinchera, 1905.

Intermezzi. Quattro poemetti di EUGENIO GARZONI. — Tergeste, ex off. Ioannis Balestra, MCMV. (Ven. lib. 1,00).

Santa Teresa per ENRICO JOLY. Traduzione italiana della 4^a edizione francese. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., 1905. (Ven. lib. 2,00).

La Venerabile Giovanna D'ARCO per L. PETIT DE JULLEVILLE. — Indidem. (Ven. lib. 2,00).

È necessaria una religione? per G. GUYOT. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

La superiorità del Cristianesimo. Sguardo su le religioni comparate per PIETRO COURBET. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Paes Phil.* Cuggiani.

PER ORBEM.

L AETIS propemodum auspiciis regalia sunt. Alfonsus enim, Iberorum rex, non alia de causa ad Gallos primum, mox ad Anglos descendit, quam arctandae magis magisque amicitiae ac firmandae pacis. Verum non utraque visitatio eodem eoque felici fortuna peracta est. Nam Lutetiae quum esset honoribus magnis magnaue populi laetitia hospes, accidit forte ut nefarii cuiusdam manus principis vitam extinguere pertentaverit. Quem nisi prae-clara custodia Deus defendisset, prae-reptum iam sibi et mater regina et populus Ibericus defleret. Media enim prope nocte quum e maximo Lutetiensi theatro rex atque reipublicae praeses Loubetius uno eodemque curru domum redirent, immisso extemplo medios in equites custodes corporis ignitae pulvris globus fuit, qui tamen non sub regio curru incensus est, sed paulo segnius, ita ut equos duos sequentis currus et equum insignem loricati centurionis enecaverit. Incolumis rex praesesque fuere: Alfonsus re minime deterritus surrexit statim, ac circumspicienti populo acclamanti salutavit. Domum redierunt uterque maximo e discrime sospites, statimque per Iberiae urbes publicae Deo grates solatae sunt, qui dilectum principem genti suaee conservasset.



Similia, at maligno exitu peiora, Graecorum historia novissime adnotavit. Nam per Athenarum vias Theodorus Delyan-nis impia sicarii manu confossus est. Senex gubernii praeses, omni laude dignus atque moribus eximiis erat; quem, quum mortuus est, tanta probitate vixisse apparuit, ut novus veluti Aristides publico sumptu elatus sit; tantum enim ei pecuniae supererat, quantum ad dignas exequias illi persolvendas vix esset satis. Virum clarissimum universa Graecorum gens deflevit, quippe qui, etsi nonnunquam in errores inciderit, nimio patriae

studio ea semper admiserit, et cupiditate augendae Graecorum gloriae ac potentiae.



Non una haec tamen publice lugenda infortunia; Anglicis enim classiariis aliud contigit. *Magnificent* erat loricata navis Gaditano in freto quiescens. Huius in gremio quum nautae tormentum bellicum exercent, missilis ingens globus tormento immissus suo tempore incensus minime est; at quum, operculo tormenti remoto, milites quaerere vellent causam, tunc flamma inopinato excitata est, quae magno strepitu plerosque arripuit qui in cubiculo erant. Eorum tres occubuerent; reliqui ob accepta vulnera in nosocomio laborant.



Huiusmodi alia Pampelunae accidērunt, in militum tormentariorum castris. Ubi quum quidam tabaci fistulam a se proiecisset, in congestos missiles globos ea cecidit, ignemque immittens in hos, multos milites ad necem vulneravit.

Neque satis. In navigio enim bellico quod Angli *Georgium Principem* dixerunt, nautae quinque carbonifero in acervo quum obdormissent, vaporibus lethaliibus paene suffocati sunt.



Sed a terrae motibus non inferior patetfacta ruina, imo longe maior. Athenis primum solum concussum; deinde Lharissae, Thessalica in urbe, atque in pluribus Albaniae oppidis domus corrunt, multa cum civium miseranda clade.



Martinica in insula Peleus ille vulcanus iterum irascitur minasque prodit futurae caedis. Flammæ rubent, atque ex ore montis exsiliunt; fumus ingens ad mare usque iam protenditur; cineres et candescens lymphæ Precheurium usque ad oppidum dilatantur, quod ultima eruptione iam vastavit. Pavidi incolae novam

iam sibi ultimamque credunt imminere perniciem.



At in proximis Ameriae litoribus gra-viora ex procellis fiunt. Nam et Missis-sipum flumen, aquis assiduis niveque soluta conflatum, litus utrinque pervasit, atque in via praelestum, quae Chicago ab urbe Burlingtonum dicit, ferreos tra-mites passim occupavit, sata delevit, casas diruit, omneque commercium palam interclusit.

Similem audaciam Australis terrae flu-men Amazonium imitatur, eius aquis Ar-gentinensis provinciae latissimo infor-tunio vastatae sunt. Pecudes ibi ad quin-que millia numero necatae, viae aquis pessumdatae, homines permulti extremo fato perculti.

Interea Byzantii ad portus aërea pro-cellula fuit, quae pluvia maxima comitan-te, urbem late inundavit. Domus ita-que plures varia detimenta exceperunt, navesque mercatoriaie non sine clade extiterunt.



Sed in Urbe nostra religionis pacisque sunt celebrati dies, quum ad Petri so-lium ex universis catholicis gentibus legati convenere, ut Eucharistiae sanctissimum mysterium solemniter celebrarent. Coetibus locum dedit Sesso-riana XII Apostolorum basilica, magna quidem et dives. Vaticano autem in tem-plo augurales caeremoniae, et sacrum ab Ipso Pontifice solemniter celebratum. Deinde, quum sessiones legatorum ex-actae sunt, mirabilis illa vetusque pompa ipso in templo habita est, qua assueverant Romani Pontifices sacras species coram populo circumferre.

Ad quas plane adfuerunt monachorum omnes ordines clerique Romanus; po-pulusque immensus templi aulam complevit Christum Deum sub hostiae specie veneraturus. Quibus gloriis innovatis praeclaras quidem spes animo fovere nobis omnibus suavissime evenit.

Nuperrime apud *Vox Urbis* commentarium prodiit opus cui titulus

⇒ *FABULÆ SELECTÆ FONTANII* ⇐

a IOANNE BAPT. GIRAUD latine redditae

passim retractatae a *Francisco Xav. Reuss.*

Ven. libell. I, 25, praeter diribitorii impensas, quae sunt in Italia lib. 0,10; extra Italiam lib. 0,25.

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congregations » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO,

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

☞ IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. ☞